

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2026

**Auteur(s) :** Philippe II Auguste, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1204

**Lieu d'émission :** Fontainebleau

**Action juridique :** confirmation générale

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Philippe Auguste confirme à l'abbaye de Bonport les donations que lui avait faites Richard Cœur de Lion, son fondateur, et entre autres celles des vignes de Vauvray, du clos de Leri, des vignes et des vinages du Vaudreuil, des prés du Vauvray, du Homme, de Louviers, d'Incarville et de Leri ; et aussi celle du moulin de Poses et des pêcheries de la Seine, depuis le Pont-de-l'Arche jusqu'aux limites de la vallée du Vaudreuil.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1076, p. 285.
- b. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° XXXIV, p. 31.
- c. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° C, p. 137-139.
- d. Brunel Clovis, Delaborde Henri-François, Monicat Jacques, Petit-Dutaillis Charles, *Recueil des actes de Philippe Auguste, roi de France*, t. 2, années du règne XVI à XXVII (1er novembre 1194-31 octobre 1206), Paris, Imprimerie nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France ; 6), 1943, n° 824, p. 400-402.

## Dissertation critique

1204 [juillet ?] : datation proposée par DELABORDE/BRUNEL et al., *Recueil des actes de Philippe Auguste*, t. 2, n° 824, p. 400.

Texte établi d'après c

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen.

Philippus, Dei gratia, Francorum rex.

Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod [sic] ex autentico scripto Ricardi, quondam regis Anglie, cognovimus : idem rex, ob remedium anime sue et predecessorum suorum, dedit et concessit, in perpetuam elemosinam, Deo et ecclesie Beate Marie de Bonoportu, que in foresta nostra de Bord sita est et fundata, in loco qui prius dicebatur Maresdans, et monachis Cisterciensis ordinis, ibidem Deo servientibus, locum ipsum de Maresdans, in quo predictam ecclesiam ad honorem Dei et Beate Marie fundavit, et totam haiam de Maresdans, sicut cheminus dividit eandem haiam et forestam ; et in eadem foresta de Bord, in loco qui dicitur Balnea Morin, et circa locum illum viginti carrucatas terre, unicuique scilicet carrucate sexaginta acras terre ad perticam viginti quinque pedum.

Dedit etiam predictis monachis in predicta foresta omnia necessaria ad propria herbergia facienda, et ad ignem suum, et ad omnes usus suos, et pasturam ad omnes bestias suas per totam forestam illam, et quietantiam pasnagii de porcis suis et hominum suorum, quos donatione ejusdem regis Ricardi habuerunt, hactenus possiderunt, et examina in usus ecclesie.

Dedit etiam eisdem omnes vineas quas habebat apud Gavereium cum vinagiis et redditibus ad vineas pertinentibus ; et totum clausum de Lere, cum suis pertinenciis, et omnes vineas et vina que habebat in Valle Rodolii, et omnia prata sua de Gavereio et de Huma et de Loviers et de Wiscarvilla et de Lere, cum pasticiis suis ejus, et omne fenum suum de Valle Rodolii, quod venire solebat ad grangias suas, excepto illo quod vadit ad carrucas et feoda serviencium ; et molendinum de Poses cum pertinenciis suis ; et omnes piscarias et omnes redditus Secane quos habebat a Ponte-Arche in Secana sursum, quantum durat Vallis Rodolii.

Dedit eciam eis idem rex Ricardus quietantiam per mare, per terram, et per aquam de omnibus rebus suis et hominum suorum quos idem rex Ricardus eis dedit ; quietanciam eciam de modiatione vini ad omnes usus suos, et de omni alia consuetudine. Quod quidem nos ipsis monachis concedimus in potestate nostra preter quam in illis terris de quibus nos eramus saisiti, quando Ricardus, rex Anglie, in fata concessit.

Dedit etiam predictus rex Ricardus predictis monachis decem carrucatas terre in foresta de Awiz, unicuique carrucate sexaginta acras terre ad supradictam perticam, ad faciendum ibi granchiam ad bestias suas et ad bladum suum, et ad ea que voluerint ; in eadem foresta, ligna ad faciendum edificia sua, et ad arduendum, quantum opus habebunt ad omnes usus suos ; et in eadem foresta herbagium bestiis suis quotcumque in nemore illo habere voluerint ; et quietantiam pasnagii porcis suis.

Dedit insuper eis centum marcas argenti annui redditus apud Dieppam, reddendas ad duos terminos, scilicet medietatem ad Pascha, et aliam medietatem ad festum sancti Michaelis, quas archiepiscopus Rothomagensis tenetur eis reddere pro excambio Andeliaci ; quas quidem si terminis statutis reddere neglexerit, nos compellemus eum ad hujus delicti solutionem.

Dedit preterea eisdem monachis, habendam et tenendam in perpetuum in proprios usus suos, ecclesiam de Crikeboe integre, cum omnibus pertinenciis suis, et sicut advocatio ejusdem ecclesie per recognitionem adjudicata fuit eidem regi Ricardo.

Nos vero, divine pietatis intuitu, et ad petitionem abbatis et fratrum predicti loci, ob remedium anime nostre et predecessorum nostrorum, dicte ecclesie Beate Marie et fratribus ibidem Deo servientibus hec omnia, sicut superius in presenti pagina continentur, salvo jure nostro, in perpetuum confirmamus et inviolabiliter precipimus observari. Et volumus quod ipsi de hiis omnibus predictis, sint in ea tenetura et saisina in qua erant tempore regis Ricardi, sicut ea potuit conferre.

Quare firmiter precipimus quod predicta abbatia et monachi et fratres in eadem domo Deo servientes habeant et teneant in perpetuum omnia supradicta, bene et in pace, libere et quiete, integre et plenarie, et honorifice, in bosco, in plano, in terris, in vineis, in decimis et hospitibus quos ex donatione regis Ricardi habuerunt, et redditibus, in pratis et pasturis, in mari quando illud habebimus, in aquis et molendinis, in viis et semitis, in vivariis et stannis, in mariscis et piscariis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad predicta pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus, sicut in presenti carta confirmantur, inhibentes, super forisfacturam decem librarum nobis reddendarum, ne quis predictos monachos super hiis molestare aut eis injuriam inferre presumat :

Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato presentem paginam roboramus.

Actum apud Fontem Bliaudi, anno incarnati Verbi millesimo ducentesimo quarto, regni nostri anno vicesimo quinto ; astantibus in palacio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; signum Guidonis, buticularii ; signum Mathei, cancellarii ; signum Droconis, constabularii.